Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36493
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

quis a me amovebit iniquitatis viam. Gratia dei per Iesum Christum dominum nostrum. Et
pulchre viam iniquitatis dixit non iniquitatem, eo quod non quasi naturalis ini
quitas sit in nobis, sed maior per peccata currentium sit attrita vestigiis. Meri
toque quia vulnus grande accitum est diu serpens perfectioris medicine re
media deposcit, obsecrans ut domini legitima miseratione curetur. Cito
enim refricatur vulnus quod sanatum medicine lege non fuerit, immo etiam
deteriore curatione sentit profectum. Ideoque si virus in interiora serpit, me
dicamenta foris apposita non sentit. Exigit ergo medicine ratio, ut aut
sectione aut excustione curetur. Nisi enim putrefacta recidantur, aut
humor inutilis decoquatur, frustra medici manus adhibentur ad vulne
ra. Ideoque bonus medicus huiusmodi egrum legitime dicit esse curandum,
ut possit medicina proficere. Lege ergo miseretur qui cum iusticia sapi
entiaque miseretur, ut ea dimittat que scit iure posse dimitti, ne cum
alteri miseretur, se ipsum legi faciat obnoxium. Agach postquam mise
ratione donatus est, fecit peccare Saul. Peccavit enim in ipsa misericordia,
et ideo peccavit per misericordiam. Consideremus etiam ne et ipsum detrimento
faciamus cui miseretur iniuste. Plerumque enim non cohercere delin
quentes maioris auctoritatis est, quam si ulciscare. Traduntur enim in
passiones ignominie, quicumque aliquid inhonestum commiserint, nullumque
culpe precium ferunt. Denique eos qui cognitorem deum suorum scelerum non pu
tabant, et quasi sine iudice et sine lege vivebant, tradidit inquit
illos deus in reprobum sensum, quia elegerunt viam iniquitatis, viam autem veri
tatis eligere noluerunt. Sed propheta qui voluit sincero conversationis affectu,
viam inquit veritatis elegi, iudicia tua non sum oblitus. Non potest hoc dicere
qui errat in dogmate. Non potest hoc dicere arrianus, non potest sabellius,
non potest manicheus, non potest avarus dicere, qui secularia et materialia concu
piscit, non potest dicere qui negociatur. Non est enim via veritatis habendi
studium, cupiditas possidendi. Quomodo via veritatis, cum ille dives
in seculo nequeat suas secum transferre divitias, et incipiat mendico illo
Lazaro egentior esse post mortem. Non est via veritatis honor seculi, solli
citudo mundi. Denique qui viam veritatis elegit, paulo post dicit: Aver
te oculos meos ne videant vanitatem. Vanitas temporalium est, veri
tas eternorum. Si volumus ergo viam veritatis ambulare, peregrinemur seculo
magis quam deo, et ambulemus per fidem. Qui enim per fidem ambulat, deo pr
esens est. Qui ambulat per speciem, adest seculo, peregrinatur a domino. Sed hic
cito confunditur. Unde refugus ab huiusmodi viro David dicit: Adhesi
testimoniis tuis domine, ne confundas me. Adhesit testimoniis domini